cum diligentia bonâ fidei conjuncta. l. Si ita. ff. de Manumiss. testamen. absq omni dolo. l. Thais. §. Stichus. ff. de Fideicommissar. libertat. integrè apertè et dilucidè d. l. Si ita. et l. Qui filium. ff. de Manumiss. testamen. reddere teneatur. Ideo statuimus, ut statim post electionem Præpositi et Consiliariorum ejus, Clarissimus Expræpositus de expensis et perceptis generaliter omnibus sub pœna Marcarum Quinque faciat calculum et Quietationem seu clarius subscriptionem suorum Regestrorum à Clarissimo Præsidente Convocationis, seu illo, cui id per Convocationem Domûs committetur, obtineat, liberq pronuntietur. Calculus enim ritè et legitimè redditus, rationes distrahit. tot. tit. ff. de Tutel. et rationib. distrahen. et ab obligatione instar transactionis liberat. l. Si purè. ff. de Fideicomissar. libertatib. et l. Emptor. §. Lucius. ff. de Pactis.

STATUTUM X.

De qualitate Professoris ad Collegium vocandi.

Cùm discere quisq prius debeat, antequam alios doceat. can. Non negamus. dist. 61. Ideo statuimus nullum ad Collegium vocari debere, nisi illum, qui in lectura benè exercitatus fuerit Juridicasq lectiones diligenter sub Clarissimis Doctoribus et Professoribus Utriusq Juris exaudiverit et super hoc fidele veritatis testimonium ab illis habuerit. Absurdum enim foret aliquem priùs velle docere, quàm discere. can. Si officia. dist. 59.

STATUTUM XI.

De Recommendatione Professoris vocandi.

Quamvis Professorum ad hoc Collegium vocatio ex antiqua consvetudine ad Universitatem pertineat, tamen Præpositus Collegii pro tempore existens inhærendo antiquæ et ra-

et rationabili consuetudini et Conclusioni per Universitatem Anno Domini 1714to latæ et Libro Conclusionum insertæ, occurrente vacatione, habito priùs cum Clarissimis Dominis Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professorem actu laborantem Domui et Facultati proficuum Universitati præsentet, Universitasq; hunc et non alium ad Collegium et Professionem vacantem, vocet ac à violenta subjecti, vel subjectorum impositione sub nullitate ipso facto vocationis abstineat. Quæ enim per vim fiunt carere debent robore firmitatis. c. Ad audientiam. de iis, quæ vi metusve causa fiunt.

STATUTUM XII.

De Examine Professoris vocati.

Sic ut præmissum est vocatus ad Collegium Professor, antequam illud ingrediatur et possessionem Cathedræ adeat, debet se, similiter sub nullitate vocationis, subdere examini Clarissimorum Doctorum Collegium actu inhabitantium, ut per illud se idoneum et habilem ad docendum exhibeat. Idoneis enim Magistris non est deneganda licentia docendi, aliàs hoc ipso denegaretur doctrina ignorantibus. c. Quoniam. et ibi gloss. v. Qui sit idoneus. de Magistr.

STATUTUM XIII.

De Disputatione vel Principiatura ante Ingressum præmittendâ.

Ad Collegium vocatus Professor, quamvis privatim per examen vires quid valeant, humeri quid ferre recusent monstraverit; tamen ad Cathedram et Professionem fidei sub pœna superioribus immediatè Statutis duobus expressa, admitti non debet